Copiæ Literarum Summi Pontificis ad Serenissimum Regem Poloniarum, Primatem Regni, & alios Senatores.

Charissimo in Christo Filio Nostro AVGVSTO Poloniæ REGI Illustr.

CLEMENS PAPA XI.

CHarissime in Christo Fili Noster salutem &c. Persuasum equidem Nobis erat, Majestatem tuam de adscito nuper S. R. E. Cardinalium Collegium Dilecto filio Nostro Franco Cardinali Pignatello non vulgare gaudium percepturam esse, cum Tibi perspectas esse eximias ipsius dotes planè arbitraremur, ac propterea statim ac ipsum eâ Dignitate auximus, Nostri in te benevolentiæ esse duximus id Tibi Literis nostris significare. Verùm non jam conijcere quid de ea re senseris, sed prorsus esse nobis contigit, ubi subindè Literas tuas Die quarta Mensis Octobris proximè præteriti datas, tum verò nobis redditas perlegimus, asserebant enim luculentum testimonium favore ipsius, qui Apostolici Nuncij munere apud Te obierat perfunctus ad Nos revertebatur, ac disertè declarabant, quam Ille demeruisset anituum singulari morum integritate, ac gravitate, tum etiam zelo, ac sedulitate pro Catholicæ Religionis indemnitate, tum demum prudentiâ, atq; solertiâ, quarum assiduo, ac diligenti usu publicas calamitates avertere, animosq; in diversa studia distractos in commune bonum convertere, quantum in se fuit, nullo non labore curaverat. Quæ, cùm mirificè judicium de eo Nostrum comprobent, grata prorsus Nobis acciderunt, eruntq; ipsi vicissim rectæ navatæ istic operæ, tuæq; in eum egregiæ voluntatis perpetuum ac perhonorificum documentum. Non abigimus interim, quin magnitudinem Paternæ illius Charitatis, qua Tibi rebusq; tuis, ac Regni istius saluti, ac tranquillitati adesse cupimus ex his, quæ idem Cardinalis Nostro Nomine peregit, usq; magis intellexeris, cujus Nostræ voluntatis nova etiàm argumenta percipies à Venerabili fratre Horatio Philippo Archiepiscopo Thebarum, quem utpotè mentis Nostræ conscium, & multis laudibus, ac pietatis inprimis præstantem fore publicæ salutis, Tuæq; Dignitatis studiosissimum confidimus. Et Mo: Tui Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ Die 12. Februarij. 1704.

Dilecto Filio Nostro Michaëli titli S. MARIÆ dePace S.R.E. Presbro. Cardinali Radzieiowski nuncup:

CLEMENS PAPA XI.

DIlecte Fili Noster salutẽ &c: Extremã Regno isti perniciẽ impendere; DEO adversus illud in flagella parato, tunc sanè timendum esset, ubi non postremè in eo conditionis, neq; vulgaris ordinis, aut dignitatis homines tanta cepisset publicæ salutis, imò etiam Divinæ legis oblivio, ut mallent sua cum

Reipublicæ, & Catholicæ Religionis hostibus consilia conjungere, quàm ab odio intimè concepto, vel ab ambitu, aut à quocunq; privato studio vel minimùm recedere. In tantam cæcitatem neminem eorum Civium, quorum insignis in DEVM, & in Patriam fides semper extitit, devenisse certò Nobis persuaderemus, nisi præsens nimium luctuosa rerum istarum facies, & publicus rumor Nos admoneret, non aliunde tot mala strenuæ Nationi virtute olim bellica satis superq; claræ contigisse, quàm ob simultates, atq; cupiditates eorum, qui res suas alieno etiam exitio, &, si opus sit, libertatis, jurium, ac Regis, Regniq; ipsius jacturâ, atq; eversione provehere non verentur. Quocirca cum Nos ingenti sollicitudine de rebus istis, quas in summum discrimen videmus adductas, teneamur, ad te dilecte Fili Noster, oculos iterum convertimus, te etiam, atq; etiam hortantes atq; obsecrantes, ut hoc perturbatissimo tempore talem te exhibeas, ut nedum immunem te esse à quacunq; censura, neglectæ publicæ salutis omnes Nobiscum agnoscant, sed ut, qui in te oculos, pro loco quem in Ecclesia DEI, & in Republica obtines, conjecerint, præclarum Zeli pro Patrijs juribus, ac legibus, pro Regia dignitate, atq; pro Catholicæ Fidei incolumitate, exemplum propositum in te habeant. Hoc sanè animo te esse confidimus, verùm præstat, ut nedùm cupidus, sed quod Dignitati tuæ probè congruit, Author etiam communis boni, & optatæ tranquillitatis perpetua tui Nominis laude dicaris, in cujus Rei auspicium Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster peramanter impertimur. Datum Romæ Die Secunda Februarij 1704.

Venerabili Fratri Episcopo Vladislaviensi.

CLEMENS PAPA XI.

VEnerabilis Frater salutem &c. Quoniam Nobis probè exploratum est fraternitatem tuam singulari in DEVM pietate præstare, & Catholicæ Religionis zelo intimè flagrare affuturum te esse confidimus sollicitudini, quàm in tanta Reipublicæ Tibiq; perturbatione persentimus, & non tam hortatu Nostro, quàm tuæ spontè sedulitati curaturũ, ut dissidentes inter se animi in studio communis boni jungantur, ne Hæresis interim latius grassetur & Orthodoxæ Fidei integritas depereat; Non enim prospectata tua prudentia ambiges, quin si insidiæ & Conatus hostium, quæ usq; adeò progressa sunt, ad exitum perducantur, sacra omnia non secus, ac profana pessum eant. Quod itaq; tibi propitium usq; magis DEVM reddere, & benevolentiam Nostram conciliare tibi arctissimè potest, id ne prætermitte, consilia scilicet concordia, quæ Reipublicæ, & Regi sint salutaria, ubiq; inspirare satage, dùm Nos fraternitati tuæ in auspicium læti eventus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ Die Secunda Februarij 1704.

Venerabili Fratri Episcopo Posnaniensi.

CLEMENS PAPA XI.

VEnerabilis Frater salutem &c. Tanta Nos sollicitudo tenet de periclitanti in-

ti inclyti istius Regni salute; vt cum jam tam audacter, atq; acriter ab hostibus oppugnari, quàm segniter vsq; modò ab ijs, ad quos pertinet, aßeri videamus: facere non poßimus, quin eos quos ipsum periculum monere deberet Paternâ Nostra charitate ad tuendam suam causam excitemus. Enixè itaq; à tua Fraternitate petimus, vt pro ea authoritate, quâ apud Proceres istius Regni præstat, diligentißimè agat, vt omnes animis, studijsq; conjunctis in commune bonum conspirent, vbi enim concordi consilio res agatur, non ambigimus, quin Respublica à præsenti calamitate, etsi maximè imminenti, eximatur; quod si deliberatione protactâ res infeliciter ceciderit, quod DEVS avertat, frustra eò cogitationes omnes, conatusq; convertentur. Et quoniam inprimis nobis cordi est Catholicæ Religionis integritas, quæ in discrimen cum ipsius Ecclesiæ juribus adducitur, confidimus, fraternitatem tuam, sui gradus memorem, omni animi contentione rem ipsam curaturam eße; vt meritum apud DEVM, Nostramq; sibi Benevolentiam vsq; magis conciliet, eidemq; Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ Die Secunda Februarij 1704.

Venerabili Fratri Episcopo Chelmensi.

CLEMENS PAPA XI.

VEnerabilis Frater salutem &c. Etsi Nobis omnino persuasum sit, nihil unquam Officij, nihil etiam studij, atq; laboris à Fraternitate tua prætermissum iri, vt vsq; adeò laboranti, & malè affectæ Reipublicæ isti præsidium aliquod à te pro tua virili afferatur; nihilominus cùm augeatur semper magis in Nobis sollicitudo, ex quo augeri in dies calamitates istius Regni, & Catholicæ Religionis pericula advertimus, te etiam atq; etiam hortamur, vt pro tua eximia pietate, atq; prudentia, eos qui tuæ authoritati subsunt, incendas ad explicandam strenuæ hac occasione veterem suam in DEVM, in Regem, atq; in Patriam Fidei, atq; ad repellendum validè conatus hostium, qui insidijs, atq; armis, & novarum rerum inductu jura, ac leges tum Divinas tum humanas istic evertere contendunt. Erit etiam tibi præcipuæ laudi idipsum apud propinquos tuos validè vigere, vt publicam salutem, ac tranquillitatem non postremo loco tibi deberi omnes intelligant. Pontificiam sanè charitatem hoc nomine quàm maximè demereberis, cujus pignus Apostolicam Benedictionem fraternitati tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ Die Secunda Februarij 1704.

Venerabili Fratri Episcopo Warmiensi.

CLEMENS PAPA XI.

VEnerabilis Frater salutem &c. Cum in gravißimis, in quibus Regnum istud versatur malis, atq; periculis, præclara affulgeat occasio probis, cordatisq; Viris, & Senatoribus publicæ salutis & Catholicæ veritatis amantibus explicandi sinceram suam, atq; egregium in DEVM in Patriam, atq; in Regem voluntatem non ambigimus, quin fraternitas tua palam testari velit,

quo zelo pro Religionis integritate incendatur, qua fide, ac studio Reipublicæ jura, ac libertatem tueri cupiat, quàm gratum etiam animum foveat erga Charissimum in Christo Filium Nostrum AVGVSTVM REGEM, *quem in te pronum, atq; summoperè liberalem fuisse novimus. Quod si his titulis, qui profectò tanti ponderis apud te esse debent, addenda sit etiam opportunitas conciliandæ tibi magis Paternæ Nostræ Charitatis, scire te volumus, nunquam te eam uberius demereri posse, quàm si diligentissimè quantùm in te est, tranquillitatem afflictis rebus adducere, & Regiam Dignitatem asserere, Fraternitati interim tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.* Datum Romæ Die Secunda Februarij 1704.

Venerabili Fratri Episcopo Culmensi.

CLEMENS PAPA XI.

VEnerabilis Frater salutem &c. Notum est cur fraternitati tuæ enunciemus in quantum discrimen adductæ sint res inclyti istius Regni, & quàm manifestè periclitetur istic in præsens Catholicæ Religionis integritas, dùm hæc omnia sub oculis tuis posita non sine intimo, gravissimoq; dolore à te pro tua pietate spectari arbitremur; sed in communi periculo, atq; calamitate illud saltem solatij loco tibi esse debet, quod occurrit virtuti tuæ præclara occasio proferendi zelum, ac fidem, quibus pro religionis, ac Patriæ salute incenderis nec non etiam assequendam eam laudem, quam majores tui perpetuam in Regiam dignitatem cultu, & obsequio tantâ sui Nominis gloria promeruerunt. Oblatam itaq; opportunitatem ne dimitte, sed te planè dignum loco, quem in Ecclesia, & in Republica obtines publicam salutem curando, REGEMq; ipsum tuendo exhibe, quo nomine animum etiam Nostrum de rebus istis vehementer solicitum mirificè demereberis, & Fraternitati tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ Die Secunda Februarij 1704.

Dilecto Filio Nobili Viro Hieronymo Lubomirski,
Castellano Cracoviensi,
Supremo Exercituum Regni Duci.

CLEMENS PAPA XI.

DIlecte Fili Nobilis Vir salutem &c. Quia præclaram de strenua nobilitatis tuæ virtute, deq; tua in Regiam Majestatem, & in Rempublicam fide gerimus opinionem, cupimus, ut idipsum omnes perpetuò sentiant, utq; vel apud ipsos Regni, & Catholicæ Religionis hostes constet, quàm turpiter fallantur, qui inspecta puto rerum istarum facie, tepuisse hac occasione in Civium cordibus Patriæ amorem, & in plerisq; militum bellicæ gloriæ desiderium arbitrantur.

Pertinet itaq; ad tui Nominis famam ostendere, Dignitatem, atq; salutem istius Regni, non eorum, qui insidias moliuntur, arbitrio, sed Tuæ, & tuorum fidei esse commissam, neq; inclytam istam nationem eam esse. quæ cum dare olim hostibus leges consueverit, velit eas modo magno suæ libertatis, suorumq;

jurium

rium detrimento pati. Qua in re, Nos, ob id præcipuè incendimur, quia m Regni, Regisq; salute vnà agi de Catholicæ Religionis integritate perpenmus. Age itaq; Dilecte Fili, cura, vt publicæ tranquillitatis, & Pacis ræcipuus Author habearis, & DEVM tuis conatibus propitium habebis, dum tanti boni auspicium Nobilitati tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter mpertimur. Datum Romæ Die Secunda Februarij 1704.

Dilecto Filio, Nobili Viro Palatino Belzensi, Exercituum Regni Duci Campestri.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili Nobilis Vir salutem &c. Quemadmodum pro demandato Nobis Ecclesiæ Regimine vehementer cupimus, vt irriti perpetuò cadant eorum conatus, qui Catholicam Religionem, quà insidijs, quà etiam palam vi, & armis oppugnare audent, vt propterea solliciti valdè simus de exitu earum rerum, quas à Catholici Magno veri cultus contemptu, atq; injuria attentare istic nuper ausi sunt: ita, pro Paterna Charitate, quâ Regnũ istud, Charissimumq; in Christo Filium Nostrum AVGVSTVM REGEM, *singulosq; inclytæ istius Reipublicæ Ordines complectimur, vehementer cruciamur ob publicam authoritatem atq; libertatem tàm temerè ab illis ipsis impetitam, atq; oppugnatam, qui non minus ipsius Reipublicæ quàm Religionis hospes censeri debent. Quoniam verò antiquam virtutem præclaræ istius Nationis non defecisse, neq; vllo modo imminutam esse confidimus, Nobilitatem tuam impense hortamur, vt virtute, atq; authoritate tuâ Patriæ salutem, & Regis Dignitatem, ac Religionis integritatem strenuè asserere cures, eritq; tuæ fidei, tuæq; constantiæ perpetua Laus pro publica causa fortiter stetisse, qua in re luculentum etiam Tibi meritum apud DEVM comparabis, Nostramq; benevolentiam vnicè demereberis. Et Nobilitati tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.* Datum Romæ Die Secunda Februarij 1704.